[illegible]

cessis. [illegible] Dñs vobisc

[illegible] dñe scē

pater oipotens eterne

[illegible] xp̄m [illegible]

[illegible]

ADDITIONES

Breuißimæ Resolutionis siue explicationis litteralis Regulæ D. Francisci ad litterã obseruandæ, præcipuè verò Equitatione & licita receptione ac vsu pecuniarum, iuxta declarationes Sũmomorum Pontificum

Per R. P. F. Antonium Cordubens.

Posnaniæ Anno 1626.

Iussu Admodum
R. P. F.
LEONARDI
STARCZEWSKI,
Ordinis Minor. S.
Francisci de Obser.
Ministri Prouinciæ
Polonæ, Sacræ The
ologiæ Lectoris ac
Prædicat. Generalis
pro quietandis con-
scientijs Fratrum,
conscriptæ ac
impressæ.
Mense Martio Anno 1626.

Psal. 1.

Iustus in lege Domini meditatur die ac nocte.

Insipiens noluit intelligere, vt bene ageret.

Psal. 35.

REgula D. FRANCISCI, aliqua continet seruanda sub præcepto, aliqua veró tantúm sub consilio.

2. Quæ sub præcepto obligant, ex natura ipsius Regulæ, insurgit illorum obligatio: non ex consuetudine seruata, licet talis consuetudo naturam Regulæ expli

explicet; consuetudo enim est optima legum interpres.

3. Vltra tria vota essentialia, in quibus cũ reliquis religionibus conuenit, continet 25. præcepta obligantia professores illius ad litteram ad M.

4. Inter ista autem 25. præcepta, quatuor tantùm sunt, quæ senibus, frigidis & secundùm carnem viuentibus difficillima reputãtur & quasi Gigantes terræ pro. missionis: qualia sunt Quod Fratres pro vestimentis habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio qui voluerint habe

re. 2, Quod non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. 3. Quod qui necessitate coguntur possint portare calceamenta. 4. Quod non habeant domum, neq; locum, neq; aliquam rem, neq; possint per se, vel per interpositam personam recipere denarios, vel pecuniã, etiam pro pretio laboris.

5. Tria illa præcepta de non equitando, de paucitate vestium, de non portando calceamenta, habent maximam facilitatem in seruando. Nam in illis dicendum est, quod omnes dicũt

in præceptis Ecclesiæ. V. g. in ieiunio quadragesimali, vel possum illud implere vel non possum, vel sum dubius. Si possum, teneor: si non possum, non teneor; quia ad impossibile nemo obligatur: si sum dubius, recurrendo ad Medicum spiritualem, & corporalem, & faciens, quod ipsi ordinauerint, adimpleo obligationē meam, ita in proposito.

5. De equitatione obseruandum statutum Benedicti XII. in Cobelinen. Capitulo Anno 1562. promulgatum. Porrò cum in Regula Fratrū Minorū cōti-

neatur expresse, quod Fratres non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. Tenore præsentium ordinamus, quod priusquam aliquis de loco dicti Ordinis profecturus exeat, de prædictis infirmitate vel necessitate, Minister vel Custos, si fuerint ibi præsentes, vel in eorum absentia cum consilio Discretorum Guardianus, vel eius Vicarius debeat arbitrari. Si veró alicui Fratri extra locū dicti Ordinis in itinere vel alibi constituto necessitas vel infirmitas euenerit, ita quod prædictorum Ministri

vel Custodis, aut Guardiani seu Vicarij præsentia commodè haberi non possit, tunc Frater quem equitare contigerit, debeat statim cùm peruenerit ad præsentiam alicuius Prædictorum, causam propter quam equitat explicare: qui cum consilio Discretorum, huiusmodi causam debeat examinare: et si causam approbauerit, Frater huiusmodi sit á pæna immunis, alioquin tàm is qui sine Prælati sui arbitrio præsumpserit equitare, quàm etiam ille, cuius in casu posito causam equitandi non iudicauerit esse iu-

stam

stã, proindè quilibet huiuſmodi transgreſſor vna die in pane & aqua debeat ieiunare, quam pænitentiam infra dies 15. immediatè ſequentes debeat explere, ad quam etiam peragendam per ſuos Superiores cogatur. Quodſi Miniſtri vel alij Superiores prædicti, in huiuſmodi reperti fuerint culpabiles, per Viſitatores acriter puniantur. Hæc conſtitutio renouata eſt & pænæ in deliquentes aggrauatæ in Capitulo Generali Romano 1 6 0 3. celebrato, in hunc modum. Item. Quoniam abuſus equitandi in noſtrum

Ordinem non ſine ſæculari-
um ſcandalo & proborum
Religioſorum lamentis plu-
rimùm inoleuit. Præcipi-
tur vt nullus Prouincialis
Miniſter, poſſit cuiquã Fra-
tri impartiri licentiam equi-
tandi, niſi prius Guardiani
& maioris partis Diſcreto-
rum ſui Conuentus, teſtimo
nium ſcriptum & authenti-
cum habeatur, de illius Fra-
tris vera neceſſitate. At ve-
rò ſi prædictus Miniſter ab-
ſens fuerit á Conuentu,
Guardianus loci, cum con-
ſenſu omnium Diſcretorum
nemine diſcrepante eandem
licentiam præſtare poterit,

quorum omnium conſcientias in hoc oneramus & ſi aliter prædicta licentia fuerit conceſſa, Miniſter Prouincialis in Capitulo ſequenti, careat voce actiua & paſſiua in Diſcretorio & Diffinitorio: Guardianus veró ipſo facto per ſemeſtre ſit á ſuo officio ſuſpenſus. Hic veró qui ſine prædicta licentia auſus fuerit equitare, Guardianus Conuentus ſubitò iniungat illi, vt faciat diſciplinam.

6. Præceptum denariorum, vel pecuniæ, ſic exponitur; Nam, vel neceſſitas vrget, imminet, (&

necessitas vera) vel non vrget, vel sum dubius. Si vrget, & necessitas est vera, possum procurare remediũ illius necessitatis, etiam interuenientibus denarijs, vel pecunia. Si necessitas non est vera, vel non vrget, neq; imminet, non possum. Si dubius sum, ad declarationem Prælati, quod necessitas sit vera, vrgens, vel imminens, possum procurare, vel non procurare illud.

8. Pecunia dicitur, omne illud quod conuertibile est in denarios.

9. Denarij, quibus necessitatibus Fratrum Mino-

rum succurritur, quidam sunt liberaliter concessi á dante illos, quidam verò non sunt liberaliter concessi, sed cadunt sub debito; vt qui dat denarios promissos, vel soluit legata in testamento.

10. Denariorum Fratres non habent, neq; simplicem vsum.

11. Denariorum legatorum siue (quæ cadũt sub debito) Dominus est Summus Pontifex.

12. Denariorum liberè donatorum, Dominus est donans, si ita illi placeat, donec in aliam rem conuertantur.

13. Denarij, cuiuscunque sunt, debent consumi iuxta voluntatem sui Domini, alias peccatum M. committitur.

14. Voluntas Domini Papæ est, quod tales denarij (quorum ipse Dominus est) consumantur pro victu, & vestitu, & reparatione Conuentuum, & pro Fratrum huiusmodi necessitatibus. Vnde consumens denarios Domini Papæ, & non iuxta hanc voluntatem, peccat Mortaliter.

15. Voluntas liberaliter concedentis ab illo explicata, vel expressè, vel tacitè,

debet seruari ad vnguem in consumendo suos denarios sub Mortali.

16 Denarij vel pecunia non possunt á Fratribus procurari nisi in casibus necessitatis veræ (non tamen strictissima expectanda) Fratrũ propriæ, vel illorũ curæ cõmissorum, proximæ, vel imminentis, & pro illis rebus, quæ alias non possent commodè mendicando haberi, id est sine magno discursu, distractione, vel sine maioris boni impedimento.

17. Melior modus procurandi & remedium pro talibus necessitatibus est, di-

cere missas pro illis, qui talibus necessitatibus succurrunt.

18. Non possunt (absolutè loquendo) in nostris Conuentibus, dici Missæ pro denarijs vel pecunijs, in stipendium, id est pro pecunia tanquam pro pretio simpliciter intento, sed possunt dici, vt pro Eleemosyna liberaliter oblata, seruatis conditionibus alias obseruandis. Possunt etiam dici pro quacunque alia re, vt pro vino, tritico, &c. dum modo res illæ non accipiantur, vt appretiatæ vel vt in alios vsus, æstimatione pretij cō

mutentur, aut distrahantur (quia taliter res dictæ essent pecunia) & seclusa omni obligatione aut pactione ciuili seu politica. Nam D. P. Franciscus vult, quod Fratres laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem, & si non detur pretiũ laboris, recurratur ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim, dummodo denarios, vel pecuniam non recipiant, modo prædicto.

19. Qui dicit Missas pro stipendio, sine vera necessitate præsente, vel imminente peccat M. quia est quęrere pecunias, vel denarios.

20. Syndicus est Procurator Domini Papæ, non Fratrum.

21: In apponendo Syndicum; Prouincialis, vel Custos, ad quos pertinet tantùm, sunt conditio sine quâ non.

22. Syndicus seruans denarios Domini Papæ, vel liberaliter concedentis, nõ est tertia persona Fratrum.

23. Potest contingere esse peccatum M. in procurando denarios, & non in consumendo, & in consumendo & non in procurando. V. g. qui procuraret denarios, vel pecuniam sine

necessitate vera, vrgenti, vel imminenti, peccaret M. Qui procuratam consumit contra voluntatem eius, cuius est, peccat M. & qui procurat sine vera necessitate, & consumit contra voluntatem eius, in vtroq; peccat Mortaliter.

24. Ex hoc, quod pecuniæ, vel denarij sint in domo Syndici Domini Papæ, vel vbi liberaliter dans voluerit, nullum est, Fratribus obligatis ad obseruandum hanc Regulam, peccatũm.

25. Fratres tenentur viuere conformiter ad altissimam paupertatem, quam sunt professi.

26. Non possunt Fratres Minores habere in cella tanta, neque talia ornamenta, quanta licent Fratribus alterius Religionis, nam alij non profitentur altissimam paupertatem.

27. Multitudo librorũ attendenda est iuxta quantitatem, & qualitatem ingenij, & officij

28: Quilibet potest habere omnes libros sibi necessarios.

29. Ignorantia non excusat professores á peccato; quia ignorans ignorabitur.

30. Illa, quæ non extrahunt Fratres Minores á sua

al-

altissima, & arctissima paupertate, non sunt illis prohibita.

31. Ex eo quod aliquis voueat Deo per singulos annos dare in eleemosynam Fratribus Minoribus tantam quantitatem tritici, vel olei, vel cuiusuis alterius rei, Fratres Minores non extrahuntur á sua altissima paupertate: cum vi illius voti, quod obligat sub mortali. Fratres non acquirant aliquod Ius, neque domum, neq; locũ, neq; aliquam rem.

32. Quando aliquis in testamento relinquit, vt sui hæredes teneantur dicere

tot missas, & dare tantam eleemosynam Fratribus Minoribus dicentibus illas: Fratres Minores per tale legatū non extrahuntur à sua altissima, & arctissima paupertate, cum ex vi illius legati, neq; acquirant Ius, neq; habeant domum, locum, neq; aliquam rem, & in hoc consistit paupertas altissima.

Quicunq; hanc Regulā seruauerint, pax super illos, & misecordia Dei.

SVMMARIVM Præceptorum

PRimum ſtatus noſtri ſubſtantiale fundamentum (vt ait Hugo in 1, cap Regulæ) eſt, Euangelica ſeruare conſilia, quæ in Regula ſũt expreſſa: & eo modo & forma, prout in ipſa poſita ſunt. Vnde aſſertiuè dicendum eſt, nihil eſſe in Regula quod ſub mortali culpa, virtute voti regularis, obliget profeſſores; niſi quod ſub præceptorijs verbis in ea ponitur vt (præcipio: iniungo per obedientiam:) vel ſub

verbo habente vim. præcepti; vt dicendo (teneantur:) vel sub verbo inhibitorio seu prohibitorio, vt est illud 6. cap. (Fratres nihil sibi approprient) vel nisi sit de illis æquipollentibus per Clementem V. (in sua declaratione super Regulam Fratrum Minorum quæ incipit: Exiui de paradiso, &c.) specificatis & expressis. Quæ omnia hîc pro cõmoditate Nouitiorum subscribuntur.

V I I. Præcepta formalia.
I I, Inhibitoria.
I V. Habentia vim præcepti.
X I I. Æquipollentia præcepta.

Præcepta Formalia.

1.

QVòd totus Ordo tenetur præstare obedientiam & reuerentiam Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ. cap. 1.

2. Quòd Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, cap. 4.

3. Quòd Fratres obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare.. cap. 10.

4. Quòd Fratres non habeant suspecta consortia mulierum. cap. 11.

5. Quòd non ingrediantur Monasteria Monacharũ. cap. 11.

6. Quòd non fiant compatres virorum aut mulierũ. cap. 11.

7. Quòd Ministri petant vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis. cap. 12.

Inhibitoria.

1. QVòd nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. cap. 2.

2. Quòd Fratres nihil sibi approprient. cap. 6.

Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale, ex declaratione Pontificum.

1. QVòd Fratres teneantur recurrere ad Ministros Prouinciales pro casibus reseruatis. cap. 7.

2. Quòd Fratres habeant vnum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum, &c. cap. 8.

3. Quòd Ministri & Custodes, teneantur in simul conuenire in Capitulo Generali, pro electione succes-

ſoris Generalis Miniſtri. cap. 8.

4. Qvòd ſi aliquo tempore, appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, prædictū Miniſtrum non eſſe ſufficientem; debeant eligere alium, &c. cap. 8.

Aequipollentia ex declaratione Clementis V. obligantia ad mortale.

1. Quòd Fratres habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam ſine capucio

qui voluerint habere. cap. 2.

2. Quòd illi tantùm qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta, cap. 2.

3. Quòd vilibus vestimẽtis induantur. cap. 2.

4. Quòd Clerici faciant Diuinum Officium secundũ ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & Laici dicant, Pater noster. cap. 3.

5. Quòd Fratres ieiunẽt á Festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, sanctam Quadragesimam Resurrectionis, & in

ſi á Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit approbatus. cap. 9.

11. Quòd vbicunque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, poſſint & debeant ad ſuos Miniſtros recurrere. cap. 10.

12. Omnia quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tàm Nouitiorum quàm etiam Profeſſorum, & ad modum receptionis ac profeſſionis ſpectantia; in quo multæ conditiones obligatoriæ cõprehenduntur. cap. 2.

Hæc

Hæc omnia si simul iungantur, constat quòd viginti quinque erunt obligatoria Regulæ, sub culpa mortali. Septē scilicet præcepta formalia:: duo inhibitoria: quatuor habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia: quæ omnia viginti quinque sunt. Et licet secundùm declarationes Nicolai III. & Clementis V. sunt viginti octo; reducuntur tamen ad vigintiquinque. Nam reliqua tria habentia vim præcepti, includuntur in supradictis. Id enim quod dicitur in primo capite (quòd Fratres teneantur obedire suc-

cessoribus sancti Francisci) & id quod dicitur capite octauo (quòd teneantur obedire Generali Ministro) includuntur vtique in illo præcepto, capite decimo, Quòd obediant suis Prælatis in omnibus, quæ non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ. Illud autē quod dicitur de ieiunio sextæ Feriæ, ad æquipollēs reducitur, vbi agitur de ieiunio. Illud verò duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos sine licentia, & non mittendo nisi idoneos; potiùs videtur præceptum iuris communis (cap. Quám sit, de Iudæis

& Saracenis. & cap. Cùm ex iniuncto, de Hæreticis.) quàm particulare Regulæ nostræ, & ideo hîc non connumeratur.

TEstamentum sancti Francisci, non obligat nos sub culpa mortali ad sui obseruantiam. Quod & Gregorius IX. & Nicolaus III. expresse testantur. Ob reuerentiam tamen Seraphici Patris decet nos illud pro virili obseruare. Nec ad alia consilia Euangelica Fratres tenentur quã quæ (vt dictũ est) in Regula ponuntur. Eò tamen ampliùs teneatur quàm cæ-

teri.

teri Christiani, quò statum
perfectionis profitendo, se
ipsos in holocaustum & sa-
crificium medullatum Do-
mino obtulerunt, per rerum
mundanarum omnium cō-
temptum, & conari debent
pro viribus (vt monet Nico-
laus III. & omnes Docto-
res) vt ea obseruent, cùm
maximè seruiant ad
ipsam perfectionē
assequendam.

B900rs

5